

Documents

Objektyp: **Chapter**

Zeitschrift: **Annales fribourgeoises**

Band (Jahr): **51 (1971-1972)**

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

III. DOCUMENTS¹

I

1287 (1288), janvier 7 *Enquête sur les droits attachés à la métralie de Rue.*

Original: parchemin 12/18 cm.

Sceaux (tombés): sur simple queue (par incision).

Nos Rodulphus de Billens, miles, ballivus in Waudu et ego Jacobus de Bellomonte, // castellanus de Rota, notum facimus universis quod cum vir illustris dominus Ludovicus de // Sabaudia, dominus de Waudu, nobis inquirere precepisset super iuribus que mistralis de Rota // ratione dicte mistralie debet habere apud Rotam et in appendiciis de Rota cum pertinentiis, nos // super hoc inquisivimus diligenter per dominum Jordanum de Blessens militem, per Henricum de Prez et per // Willelmum Boneti, domicellos, et per quamplures alios fide dignos. Et invenimus per predictos quod mistra-//lis de Rota ratione dicte mistralie debet habere clamas sex denariorum que fiunt in manu sua // apud Rotam vel in mandamento Rote et quod infra Rotam vel dominium Rote curiam suam potest tenere // ubicumque sibi placet. Item invenimus per dictam inquisitionem quod dictus mistralis debet habere decimum denarium bannorum que recuperantur per castellanum de Rota apud Rotam et in mandamento. Item debet // habere decimum denarium talliarum que fiunt per castellanum dicti loci in mandamento Rote et hoc pro colie-//tura. Item debet habere et levare in quolibet homine talliabili existente in mandamento Rote et // ad dominium pertinente unam cupam avene. Item in quolibet homine iurante villam de Rota unam cupam // vini. Item in quocumque emente missilleriam pertinentem ad dominium de Rota unam cupam vini. In // cuius rei testimonium nos predictus ballivus et ego dictus castellanus sigilla nostra apposuvimus huic scripto. // Datum in crastino epyphanie domini, anno eiusdem Mo CCo LXXXo septimo.

¹ Nous nous sommes efforcé de respecter scrupuleusement l'orthographe des mots, telle qu'elle apparaît dans les textes.

II

1289 (1290), janvier

*Inféodation**Original*: parchemin 20 + 1/20 cm.*Sceaux (tombés)*: sur double queue (par incision pratiquée dans le repli).

Ego Petrus de Illens, domicellus, quondam filius domini Vuillelmi de Illens militis, notum facio // universis presentibus et futuris quod ego ex certa scientia recognosco et confiteor me tenere et // habere in feodum a nobili viro Girardo quondam filio Rodulphi domini de Orons homines // et albergamenta inferius adnotata cum tenementis, vestituris et possessionibus ipsorum presentibus // et futuris, qui homines et albergamenta sunt apud Bessensens et apud Chasales. Videlicet Petrum dictum // Bessum; relictam Johannis dicti Besson; Agnetem de Verney; tres Espagnouz; Ramez de Cha-//sales; Agnetem relictam Humberti de Verney; Aymonem de Verney; Amedeum Landout; Ro-//dulphum de Platea; Petrum Chivillart; Albam, Thomam Gotrosi; Petrum Grognet; les Gran-//tes; Peruset; albergamentum Uldrici Besson de Bessensens; Vuillelmum Flori et albergamentum es Flo-//ries. Exceptis sex posis terre quarum tenet Rodulphus de Platea dictus de Chasales tres in ter-//ritorio de Pois, et Perusez cum participibus suis alias tres supra Fey, que quidem sex pose sunt // de feodo Rote. Pro quibus vero predictis ego dictus Petrus de Illens reddidi dicto Girardo Nycholaum // filium meum hominem ligium. Et si contingeret, quod absit, quod ego dictus Petrus de Illens non ha-//berem nisi unicum filium, ipse filius meus esse deberet homo ligius primo domini Rote et postea // dicti Girardi. Et ego dictus Nycholaus ratione dicti feodi, de mandato dicti patris mei, Ysabelle // matris mee, Petri et Johannis fratrum meorum, feci homagium ligium in manu venerabilis viri domini // G(irardi) de Orons cantoris lausan. avunculi dicti Girardi, nomine et ad opus dicti Girardi. Ad // hec testes fuerunt dominus Michael de Cholins presbiter, Stephanus de Bellavilla clericus, Rodulphus // de Bullo domicellus et Hugo de Vuydens burgensis Viviaci. In cuius rei testimonium nos Pe-//trus de Illens, Ysabella uxor eius, Petrus, Nycholaus et Johannes eorum liberi supradicti, sigilla // viri religiosi domini Nycholai abbatis Altecriste, domini Giroudi curati de Chatellens et

domini // Vuillelmi curati de Sancto Martino in Vuaut presentibus rogavimus apponenda. Et nos abbas et // curati predicti ad requisitionem Petri de Illens, uxoris et liberorum suorum predictorum, sigilla nostra presen-//tibus apposuimus in testimonium premissorum. Datum anno domini Mo CCo LXXXo nono mense januarii.

III

1309 (1310), février 15 *Vente à réméré*

Original: parchemin 15/36 cm.

Sceau (pendant): sur simple queue (par incision).

Nos G(irardus) de Orons natus quondam domini Amedei de Orons militis, decanus Valerie in ecclesia sedunensi, notum facimus universis quod cum nobilis vir Girardus dominus de Orons pro se // et suis heredibus vendiderit impertuum et irrevocabiliter nobis, pro nobis et heredibus vel assignatis nostris, Humbertum de Rengerenges, liberos quondam Johannis fratris eius, Perrussodum de Ren-//gerenges, Symondam sororem eius, Petrum dictum Bretont de Escublens, liberos quondam Petri de Furno de Escublens et Petrum de fonte de Rengerenges, homines suos taliabiles // cum liberis et tenementis suis. Item Bertholdum de Vizi hominem suum liberum cum liberis et tenementis suis, una cum omnibus juri- bus, censibus, taliis, servitutibus et omni mero // et misto imperio, in quibus sibi tenentur homines supradicti. Item pratum suum de Rengerenges, situm iuxta pratum predicti Humberti ex una parte et pratum Perrussodi predicti ex altera. Item // quicquid juris, rationis, domini, proprietatis et possessionis vel quasi habebat vel habere poterat aut debebat de facto vel de jure, jure hereditario seu ex quacumque alia causa in predictis villis de Ren-//gerenges et de Escublens et territoriis earumdem, exceptis feudis nobilium hominum dictorum locorum et tribus modiis frumenti qui debentur apud Escublens, obligati quondam per // Willel- mum de Escublens domicellum qui non sunt de venditione predicta. Pro quibus predictis nobis venditis habuit et recepit a nobis prefatus Girardus dominus de Orons ducentas // libras bonorum lausannensium in bona pecunia numerata, nomine et ob causam venditionis predictae prout in quadam littera sigillata sigillo curie laus. quam penes nos habemus plenius conti-//netur. Nos volentes eidem Girardo domino de Orons facere gratiam

specialem, volumus et concedimus per presentes pro nobis et heredibus vel assignatis nostris quod ipse Girardus dominus // de Orons et heredes sui possint reemere et rehabere a nobis et heredibus vel assignatis nostris universas et singulas res predictas venditas cum juribus earumdem et res ipsius ven-//ditionis pro ducentis libris bonorum lausannensium infra octo annos, proximo et continue a confectione presentis littere subsequentes et non ultra, videlicet quolibet anno dictorum octo annorum a dominica bor-//darum usque ad subsequens festum Pentecostes et non in alio tempore. Hoc autem additum est in premissis quod nos et heredes vel assignati nostri, durantibus predictis octo annis pro // reemptione predictorum, non possumus nec debemus exigere a predictis hominibus ratione vel occasione tallie ultra summam novem librarum laus. annuatim. Et si forte reciperemus vel ha-//beremus annuatim per predictos octo annos a predictis hominibus ratione vel occasione tallie ultra predictas novem libras laus., tenemur et promittimus pro nobis et heredibus vel assigna-//tis nostris eidem Girardo domino de Orons pro se et suis heredibus reddere et restituere tempore quo fieret reemptio predictorum, totum illud quod receperimus et habuerimus annuatim // ratione vel occasione tallie a predictis hominibus ultra novem libras laus. supradictas. Et juramus ad sancta dei euvangelia contra predicta vel aliquod de predictis non venire infra octo // annos predictos. In cuius rei testimonium, sigillum curie laus. rogavimus et fecimus apponi huic scripto et nos officialis curie laus., ad preces et requisitionem prefati domini G(irardi) de-//cani Valerie in ecclesia sedunensi, sigillum dicte curie laus. apposimus huic scripto in robur et testimonium omnium premissorum. Datum anno domini millesimo trecentesimo nono, die // sabbati ante dominicam bordarum.

IV

1312, août

Rodolphe de Brent, donzel, approuve la vente d'une oche passée entre ses hommes taillables et l'un de ses tenanciers.

Original: parchemin 21/26 cm.

Sceau (pendant): sur simple queue (par incision).

Ego Rodulphus de Brent, domicellus, filius quondam Vuillelmi de Brent domicelli, notum facio universis quod cum olim Jaque-//rius dictus

de Cotterey homo meus talliabilis et Vuillemeta relictæ Johannis fratris sui quondam hominis talliabilis, Stephanus et Perrodus // fratres homines mei talliabiles filii quondam dicti Johannis de Cotterey et dicte Vuillemete perpetuo vendiderint Johanni dicto Englex de Orons // lo Chastel et heredibus suis quandam ochiam cum omnibus pertinentiis suis sitam apud Chessales iuxta ochiam Petri ou Tabus ex una parte et // ochiam Nycholay ou Maiour de Chessales ex altera, pro certa quantitate pecunie quam predicti homines mei venditores a dicto Johanne Len-//glex habuerunt in bona pecunia numerata. Item cum ego dictus Rodulphus de Brent olim perpetuo vendiderim dicto Johanni // Lenglex et heredibus suis pro me et meis heredibus pure et libere prout melius et sanius intelligi potest duodecim denarios laus. census et duos // solidos laus. de placito in quibus michi annuatim tenebatur pro quadam pecia terre sita supra stratam publicam ante Orons iuxta terram // Uldrici ou Chapuis ex una parte et terram Johannis filii Girodi a parte superiori et // affrontuatur (sic) terre Escropalat de Chessalles ex una parte et // affrontuatur (sic) terre Jordani ou Desperaz ex altera. Item pro quadam alia pecia terre sita en la Cula et affrontuatur (sic) terre Johannis ou Chapuis // ex una parte et nemori domini.. a) de Orons ex altera, scilicet pro quinquaginta solidis laus. quos habui et recepi a dicto Johanne Lenglex // in bona pecunia numerata ob causam et precium dicte venditionis dictarum peciarum terre. Ego vero dictus Rodulphus de Brent // pro me et meis heredibus, pure et libere perpetuo Johanni dicto Englex et heredibus suis dictam venditionem dicte ochie olim sibi factam a predictis // hominibus meis laudo, approbo et ratifico prout melius et sanius intelligi potest. Et predictos duodecim denarios laus. census et duos // solidos laus. de placito pro me et meis heredibus pure et libere perpetuo iterum dicto Johanni Englex et heredibus suis, et quicquid juris, actionis, rationis, // domini et reclamationis habeo in omnibus supradictis censu, placito et duabus peciis terre, sibi vendo, trado et concedo et me vendidisse, // tradidisse et concessisse confiteor prout melius et sanius intelligi potest et hoc pro septuaginta et quinque solidis laus. michi jam tradi-//tis et solutis in bona pecunia numerata ob causam tam dicte venditionis quam laudis mee dicte venditionis dicte ochie et de quibus me // teneo integre persolutum. Devestiens me et heredes meos de omnibus et singulis supradictis ochia, censu, placito et duabus peciis terre cum omnibus // fondis terre, juribus, dominio, pertinentiis et appendiciis suis, dictum Johannem Lenglex investiendo corporaliter de eisdem per

traditionem presentis instrumenti, pro omnino-//da voluntate sua impos-
 terum facienda. Cedens et tradens pro me et meis heredibus dicto Johanni
 et heredibus suis quicquid juris, actionis, rationis, domini et // reclama-
 tionis habeo et habere possum aut debeo in omnibus supradictis ochia,
 censu, placito et duabus peciis terre ex quacunque ratione, causa. Renun-//
 cians in hoc facto omni actioni et exceptioni doli, metus et in factum,
 exceptioni dicte pecunie non numerate, non habite, non solute, juri sub-
 venienti decep-//tis ultra dimidium justii pretii et omni juri scripto et non
 scripto per quod possem venire contra predicta vel aliquid de predictis.
 Promittens per juramentum meum supra // sancta dei euvangelia a me
 corporaliter prestitum omnia supradicta attendere et non contrafacere vel
 venire infuturum sed de predictis censu, placito et duabus peciis terre //
 cum omnibus juribus, dominio et appendiciis suis pro me et meis heredibus
 dicto Johanni et heredibus suis pure et libere perpetuo portabo bonam
 gayrenciam contra omnes in judicio // et extra judicium et in omni parte
 litis. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati Reymondus de la Cor, Johan-
 nes li Chastellans de Domno Martino // burgenses Viviaci et Petrus de
 Arconcie clericus. In cuius rei testimonium nos Hugo de Chanvenz decanus
 Viviaci ad preces et requi-//sitionem dicti Rodulphi de Brent domicelli,
 sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum mense au-
 gusti, anno // domini Mo CCCo duodecimo.

a) En blanc dans le texte.

V

1313, décembre 9

Testament de Rodolphe, curé de Promasens.

Original: parchemin 56 + 1,5/33 cm.

Sceaux (tombés à l'exception du no. 1): sur double queue (par inci-
 sion pratiquée dans le repli).

In nomine sancte et individue trinitatis, patris et filii et spiritus
 sancti, amen. Ego Rodolphus curatus de Promasens sanus mente // licet
 infirmus corpore, considerans et attendens quod nichil est morte certius,
 nichil incertius hora mortis et idcirco desiderans quamdiu viget in // me
 sensus et naturalis regit mentem ratio, conditionis humane inevitabilem

(sic) mortis debitum prevenire, mearum rerum, bonorum et actionum omnium per presentes me-//um noncupativum (sic) testamentum seu meam ultimam voluntatem sine scriptis condo et ordino prout hic inferius continetur. Et quia heredum institutio caput est // et fundamentum totius testamenti, idcirco in primis heredes meos instituo in omnibus bonis meis patrimonialibus presentibus et futuris, videlicet Girardum de Gillarens // fratrem meum in medietate omnium bonorum predictorum et neptes meas videlicet filias Oteti de Gillarens fratris mei in alia medietate omnium bonorum meorum predictorum // excepto avantagio quod feci dicto Girardo fratri meo sicut inferius continetur. Sepulturam autem meam eligo in domo et cimisterio abbacie Altecriste, dans et le-//gans eidem domui Altecriste pro anniversario meo ibidem annuatim faciendo quadraginta solidos census supra pratum meum situm apud Eschiens in loco ubi dicitur // en la Fontana subtus viam qua itur versus Auborenges. Item do et lego eisdem religiosis et domui eorundem casale meum de Rota situm inter domum Nicholai de // Crest ex una parte et domum dicti curati iuxta portam ex altera, et sciendum est quod stabulum domus predicti Nicholai de Crest de dicto casali est et in dicta donatione re-//putatur. Item do et lego ecclesie de Promasens duas posas terre quas dicti Putot tenent en Torrent. Item do et lego et concedo predicto Girardo fratri meo // in avantagium sue portionis homines meos talliabiles dictos Chinotier, videlicet Johannem et fratrem eius cum tota hereditate eorum quam tenent a me, necnon et tenementum // quod tenent a me Simon et fratres eius et Ricardus maritus cognate eorum. Item do et lego predicto Girardo fratri meo undecimam partem meam tocuis decime de Gillarens // super qua decima tenetur solvere dictus Girardus dimidium modium frumenti Alexie sorori mee et dimidium modium frumenti Malmete sorori mee ad vitam earum tantum et post // vitam earum revertatur ad dictum Girardum. Et primo volo quod clamores mei et debita persolvantur. Quod si forte contingeret super bonis meis clamores et debita mea non // posse solvi, volo et ordino quod Girardus frater meus sit in ultima solutione. Et si contingat quod ipse Girardus non possit solvere super bonis meis mobilibus, pono sibi et asseto // residuum solutionis sue supra totam partem meam quam habeo tam in hereditate paterna quam materna et super omnibus aliis bonis meis mobilibus et immobilibus presentibus et // futuris, ubicumque sint vel quocumque nomine censeantur. Item volo quod predicte neptes mee filie videlicet Oteti de Gillarens fratris mei habeant partem hereditatis

mee cum uni-//verso honore suo prout superius est expressum. Item quito et absolvo predictas neptes meas super gageria qualem habebam in hereditate Oteti fratris mei, volens et ordinans // quod littere de dicta gageria eisdem reddantur. Item volo et ordino quod gageria Rodulfi d'Eschiens sit quita et soluta et quod littere dicte gagerie reddantur // heredibus Humberti d'Eschiens. Item do, lego et concedo alumpnis meis Rodulfo et Perreto campum meum continentem sex posas situm in introitu ville d'Eschiens inter villam et // « loparembat ». Item do et lego eisdem campum meum dictum Montaner continentem quatuor posas inter grangiam d'Eschiens et terram ecclesie. Item do et lego eisdem octo po-//sas terre sitas inter Broiam et prata d'Eschiens. Item do et lego eisdem unam posam terre et dimidiam iuxta Broiam et iuxta terram ecclesie. Item do et lego eisdem // pratum meum d'Eschiens dictum de la Fontana, exceptis quadraginta solidis laus. census quos tenentur solvere annuatim predicti alumpni mei super prato predicto pro anniversario meo // abbati et conventui et conventui(sic) Altecriste. Item do et lego predictis alumpnis meis domum meam de Rota cum hoschiis dicte domus, sitam iuxta portam de Rota ex una parte et // casale quod dedit in elemosina dictus curatus religiosus, abbati et conventui de Altacrista ex altera, sub conditionibus infrascriptis videlicet quod si dicti alumpni non reverterentur ad terram istam aut decederent // sine heredibus ab eis legitime procreatis, dicta domus cum suis hoschiis ad dictum Girardum fratrem meum et Johannem mistralem de Rota pacifice deveniret aut heredibus eorum // ab ipsis legitime procreatis. Hoc adiuncto quod dicti alumpni non possunt nec debent dictam domum cum suis hoschiis vendere nec alienare alicui sine licentia Girardi et Johannis predictorum. Volens // et ordinans quod predicti Girardus et Johannes dictam domum cum predictis hoschiis teneant et possideant ad utilitatem alumpnorum meorum predictorum donec ad istam propriam revertantur. Item do et lego // Lione filie Johannis mistralis de Rota centum s. semel. Item do et lego casale Bertholdini Alamant cum hoschia liberis dicti Johannis. Item do et lego liberis Bertholdi mistralis // fratris dicti Johannis unum casale cum hoschia iuxta domum Nicholai de Crest. Item do et lego Malmete filie dicti Bertoldi mistralis centum s. laus. semel. Item do et lego // fratribus predicatoribus et fratribus minoribus de Lausanna cuilibet ipsorum decem s. semel. Item do et lego monialibus de Balevauz, d'Eschisie et de Romont, cuilibet conventui earum v s. Hospitali de // Friburgo v s. ; hospitali de Melduno v s. xxx d. Item do et lego fratri Rodulfo

de Capella monacho Altecriste xx s. laus. annuatim ad vitam suam tantum et non ultra, quos eidem assigno // et asseto supra terram meam de Wil-liengiau. Quod Girardus frater meus solvat decem s. et neptes mee dou Terrau x s., ita quod si alter ipsorum solvere renuerit, alter assignationem teneat et // totum solvat. Item do et lego priori Altecriste xx s. semel, portario x s. semel, cuilibet monachorum iij s. semel et cuilibet curato presenti in sepultura mea xxx d., aliis sacerdotibus // xij d., cuilibet clerico iij d. Item do et lego Hermelene domum de Rota sitam iuxta domum Martini d'Ursi et unum modium frumenti. Item do et lego Perrete de Brent dimidi-//um modium frumenti et duas cupas pisorum. Item do et lego hospitali de Monior unum lectum integrum. Item Farquier famulo meo iij cupas frumenti. Item reliquis de familia mea do // et lego secundum voluntatem (sic) executorum meorum quorum iudicio et voluntati derelinquo omnia supradicta quo ad meliorationem integraliter adimplenda. Executores autem huius testamenti mei sive huius // ultime voluntatis mee facio et constituo, videlicet virum religiosum dominum abbatem Altecriste, dominum Willelmum curatum de Sancto Martino, Petrum de Coioney, Girardum de Gillarens, domicellos, Johannem // mistralem de Rota, Jordanum fratrem eius et Rodulphum de Bullo, clericos, dans et legans cuilibet ipsorum pro labore suo xx s. semel. Ita quod si forte aliunde aliquis ipsorum, videlicet unus vel duo vel // tres vel quatuor aliquo impedimento circa executionem vacare non possent, possent aliis tribus vel etiam duobus committere vices suas quousque circa id vacare possint, cessante impedimento // predicto. Devestiens me ego predictus curatus de omnibus et singulis mobilibus et immobilibus, fructibus, debitis et actionibus quibuscumque, ubicumque sint, a quocumque debeantur et quocumque nomine // censeantur, ponens omnia predicta bona, actiones et iura mea in manus dictorum executorum meorum. Dans eisdem executoribus meis plenam et liberam potestatem et speciale man-//datum exigendi, recuperandi et recipiendi ea que michi debentur et que de bonis et rebus meis per aliquos detinentur et etiam distrahendi, obligandi et ven-//dendi quecumque voverint de bonis meis mobilibus et immobilibus, fructibus, debitis, iuribus et actionibus supradictis pro clamoribus meis pacificandis et emendandis et // pro debitis et legatis meis predictis solvendis. Et si forte dicti executores mei insimul non possunt predictae executioni comode interesse, volo quod duo ipsorum vel // tres ex ipsis quibus alii vel alteri ipsorum, qui vacare non poterunt commiserint vices suas. Exequantur predicta, hoc

salvo quod si quis ipsorum executorum ex sola voluntate sua // impedimento iusto cessante predictae executioni mee interesse non vellet, privo ipsum ex nunc omni iure, legato et emolumento quod habere deberet de bonis meis et iuribus supradictis, // volens quod illud ius, legatum et emolumentum ad alios de executoribus meis qui dicte executioni vacare voverint devoluatur ipso facto, a deo quod si iam illud ius, // legatum et emolumentum illi qui vacare nollet solutum fuisse vel illud aliquo modo habuisse, aliis qui dicte executioni vacaverint reddere tenerentur (sic). Si vero contingeret quod predicta bona // mea non sufficerent pro clamoribus meis emendandis, debitis et legatis meis predictis solvendis, in eo casu volo quod ad arbitrium executorum meorum qui dicte executioni vacare poterunt, detrahetur de legatis et donationibus supradictis. Si autem ultra predicta aliquid superesset, illud totum secundum arbitrium executorum meorum pauperibus erogetur. Volo etiam // quod si aliqua obscuritas, ambiguitas vel altercatio verteretur in posterum in toto vel in parte quacunque sive vocabulo circa predicta vel aliquid de predictis, in eo semper fieret interpretatio et // declaratio secundum intellectum et arbitrium executorum meorum qui dicte vacarent executioni ut predictum est. Nolo quod dicti executores mei teneantur alicui computum seu rationem // reddere de predictis vel aliquo predictorum nisi inter se solum et sibi ipsis. Et hanc presentem ordinationem volo et esse assero meam ultimam voluntatem quam valere volo iure testamento // nuncupativi. Et si forte non valet iure testamenti nuncupativi, volo quod valeat iure codicillorum vel iure donationis causa mortis vel iure donationis inter vivos vel saltem // mee cuiuslibet alterius valide dispositionis seu ultime voluntatis per quam melius valere potest secundum formam iuris civilis vel secundum benignitatem canonice sanctionis, omnibus // iuris subtilitatibus relegatis. Datum et actum a Promasens in domo mea videlicet dicti curati de Promasens, anno domini M^o CCC^o terdecimo, die dominico post festum beati // Nicholai in presencia videlicet executorum meorum predictorum necnon et in presencia religiosorum virorum, prioris Altecriste et fratris Rodulphi de Capella monachi dicte domus necnon // et domini Willelmi curati de Williens et aliarum quamplurimarum personarum fide dignarum. In quorum omnium robur et testimonium, ego predictus Rodulfus curatus de Promasens sigillum (sic) meum apposui // huic scripto et rogavi apponi una cum sigillo meo sigilla venerabilium et discretorum virorum videlicet religiosi viri domini abbatis Altecriste, discreti viri Hugonis // de Chanvent

decani Viviaci, domini Willelmi curati de Sancto Martino et domini Willelmi curati de Williens. Et nos abbas, decanus et curati predicti ad requisitionem // predicti curati de Promasens una cum sigillo eius, siggilla nostra huic scripto duximus apponenda in testimonium omnium premisorum.

VI

1315, novembre

*Manumission**Original: parchemin 30/26 cm.*

Sceaux (pendants, sauf le no. 3): sur simple queue (par incision, à l'exception du no. 3).

Ego Rodulphus filius quondam nobilis viri domini Amedei de Orons, militis, domini de Bossonens, dominus de Athalens, notum // facio universis quod ego sciens et spontaneus, considerata utilitate mea evidenti, de laude domine Jaquete matris mee pro me et meis // heredibus manumitto, affranchio, quito, libero Vuillelmum filium quondam Johannis dicti Teyour de Corsales hominem meum talliabilem re//cipientem pro se et liberis suis ac bonis suis mobilibus, ab omni tallia, exactione tallie, ab omni servitute talliabili et ab omnibus usagiis que homines existentes in districtu de Bossonens et de Athalens communiter solvere consueverunt, exceptis calvacata, cor//watis animalium, *la weyti*, bannis et clamis, ita quod dictus Vuillelmus et liberi sui possint morari in posterum ubicunque voluerint et // facere et exercere omnes contractus et omnia negotia sua sicut homines liberi et ligii, pro tribus solidis lausan. census michi et heredibus // meis ab ipso Vuillelmo et suis liberis solvendis annuatim in festo beati Martini hyemnalis in recognitionem dicti homagii et // pro triginta libris lausan. michi a dicto Vuillelmo solutis in bona pecunia numerata. Tali conditione etiam in dicta manumissi//one apposita quod dictus Vuillelmus et omnes liberi sui remanent et esse debent imperpetuum homines liberi et ligii mei et meorum heredum // et debent michi facere et prestare quidquid homo liber et ligius tenetur domino suo facere et prestare, nec debent // facere aliquam fidelitatem seu homagium alicui nisi de mea pro-

cederet voluntate. Volo et concedo dicto Vuillelmo quod si contingat // ipsum Vuillelmum decedere sine liberis legitimis tempore sue mortis superstitibus, quod ipse in vita sua possit unum tantum de filiis fratrum suorum // heredem instituere in bonis suis mobilibus et immobilibus vel bona sua sive partem bonorum suorum eidem dare vel legare, et // illum de liberis fratrum suorum quem dictus Vuillelmus heredem suum instituerit vel cui bona sua vel partem bonorum suorum dederit vel legaverit ex nunc manumitto, affranchio, quito et libero pro se et liberis suis ab omni tallia, exactione tallie et omni servitute talliabili, ita // quod ille sic manumissus et affranchitus nichil capiat seu habeat in bonis et hereditate patris sui et michi et heredibus meis teneatur // ad omnia facienda et prestanda ad que dictus Vuillelmus tenetur secundum tenorem predictum. Actum est etiam inter me et dictum Vuillelmum quod // ipse donat et quitat perpetuo eo modo quo sanius potest intelligi Umberto et Johanni fratribus suis presentibus omnia bona sua immobilia et quidquid juris habet in eisdem, retinens tamen sibi partem sibi competentem in bonis mobilibus et in debitis communibus inter // ipsos (sic) et fratres suos predictos. Promittens per iuramentum meum ad sancta dei euvangelia corporaliter prestitum et stipulatione sollemp-//ni, omnia et singula predicta attendere et servare et non contra facere vel venire. Nos vero Jaqueta mater dicti Rodulphi et // Vuillelmus predicti omnia predicta confitemur esse vera et ea laudamus, approbamus et ratificamus et eis expresse consentimus, pro-//mittentes per iuramenta nostra ad sancta dei euvangelia corporaliter prestita omnia predicta attendere et servare et non contra facere // vel venire. In cuius rei testimonium, nos officialis curie laus. ad preces et requisitionem predictorum Rodulphi domini de Atha-//lens, domine Jaquete matris sue et Vuillelmi filii quondam Johannis Teyere nobis fideliter relatas per Jacobum Gayot de Viviaco cleri-//cum juratum dicte curie^{a)} cui quantum ad levandum et conficiendum litteras sigillo dicte curie sigillandas commisimus vices nostras et eidem super hiis fi-//dem plenam adhibemus, sigillum dicte curie presentibus duximus apponendum. Ad hec interfuerunt testes Umbertus frater dicti Vuillelmi, Pe-//trus dictus Chevlu, Perrodus filius quondam Giroldi de Bossonens et Nycholaus dictus de Estra. Nos vero Girardus frater // dicti Rodulphi, decanus Valerie in ecclesia sedunensi, ad preces et requisitionem dicti Rodulphi, dicte domine Jaquete matris nostre et dicti Vuillelmi // sigillum nostrum una cum dicto sigillo curie laus. presentibus apposuimus in testimonium omnium premis-

sorum. Et ad maiorem roboris // firmitatem, ego dictus Rodulphus sigillum meum una cum predictis sigillis duxi presentibus apponendum. Datum mense novem-//bris anno domini M^o CCC^o quintodecimo.

a) En marge, dans le sens de la hauteur, à gauche: *Officialis curie decanatus Viviaci, curante (?) me vicario.*

VII

1317, août 9

Indemnité accordée par Louis I, seigneur de Vaud, au sire Pierre d'Yllens, chevalier.

Original: parchemin 22 + 1,5/24 cm.

Sceau (tombé): sur double queue (par incision pratiquée dans le repli).

Nos Ludovicus de Sabaudia dominus Vaudi notum facimus univ-
ersis quod cum nos dederimus, tradiderimus et concesserimus // religiosis
viris, domino abbati et conventui Sancti Mauricii aganensis dyocesis
sedunensis octavam partem // tocuis decime de Orons la Vila, quam
octavam partem ibidem percipiebat et habebat jure here-//ditario dilec-
tus fidelis noster dominus Petrus de Illens miles, in escambium cum
quibusdam rebus // aliis et possessionibus nostris pro villa de Wadens^{a)} ac
pertinenciis et appendenciis dicte ville // interveniente laude dicti
domini Petri et consensu. Que quidem octava pars dicte decime // per jus-
tam et legitimam extimationem valebat dicto domino Petro per annum
quatuordecim // cupas frumenti, duos modios et sex cupas avene ad con-
fertam mensuram Viviaci et unam // libram cere. Nos prudentes, scientes
ac spontanei ac ex nostra certa sciencia, volumus et concedimus // eidem
domino Petro pro se et suis heredibus quod idem dominus Petrus ac here-
des sui paciffice et quie-//te dictas quatuordecim cupas frumenti, dictos
duos modios et sex cupas avene ad dictam men-//suram Viviaci et dictam
libram cere singulis annis percipiant et habeant integraliter in recum-//
pensationem dicte octave partis dicte decime supra advoeriam seu mes-
sem quam nos habemus // et percipere consuevimus supra homines et
habitatores ville de Chapela prope Illens, quousque // nos aut heredes nos-
tri eidem domino Petro aut heredibus suis dictas quatuordecim cupas //
frumenti, dictos duos modios et sex cupas avene et dictam libram cere in
alio loco assig-//naverimus et assetaverimus competenter et ad comodum

eorumdem. Mandantes et precipientes per pre-//sentes castellano nostro Rote qui nunc est et qui pro tempore fuerit quod ipse, nullo alio mandato a // nobis super hoc expectato, dictis hominibus et habitatoribus dicte ville de Chapala, qui nunc sunt // et qui pro tempore fuerint, expresse precipiat quod ipso dicto domino Petro et suis heredibus super dictis quatuordecim cupis frumenti, duobus modiis, sex cupis avene ad dictam mensuram cum dicta // libra cere singulis annis respondeant sibi pacifice persolvendo quousque, ut dictum est, // per nos aut heredes nostros dicto domino Petro aut heredibus suis dicti bladi et dicte libre // cere sit facta assetatio competenter. Promittentes bona fide contra predicta aut aliquod predictorum // in posterum non facere vel venire. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus // duximus apponendum. Datum die martis ante festum beati Laurentii, anno domini Mo // CCCo septimo decimo.

a) Voir note p. 82

VIII

1322, novembre 15

Reconnaissance d'un « homo liber »

Original: parch. 26/24 cm.

Sceaux (tombés): sur simple queue (par incision).

Ego Amedeus dictus Reybat dou Bos in parrochia sancti Martini in Waudo, notum facio universis quod ego // sum homo liber Nycholai de Illens domicelli et ab ipso confiteor pro me et meis heredibus me // tenere ad censum annum imperpetuum res et possessiones infra scriptas. Primo quinque posas terre sitas en // bon Flusel, in pratis et campis, iuxta terram liberorum Humberti Bergier et iuxta terram Johannis ou Mugner de Pont; // unum pratum situm in dicto loco in quo sit una charrata feni. Item tres posas et dimidiam sitas en la // Plachy ou Gras iuxta terram Amedei de Saba lo Mugnerat a parte superiori et iuxta terram Aymonis // lo Gindrot a parte inferiori. Item dimidiam posam terre sitam en la Planchi Salveyn iuxta terram Johannis Bergier // ex una parte et terram ou Chastellan de Villar ex altera. Item duas posas et dimidiam terre sitas in loco // dicto ou Pra a l'Espagnyo et quoddam pratum contiguum dicte terre iuxta terram Mermerii de Pra Prevero ex // una parte et terram Anselmi filii Lau-

rencii a parte boree, in quo prato sunt due charrate feni, et // unum pratum contiguum dicte terre. Item unam posam et dimidiam terre et prati sitam in loco dicto ou Chastellar // ante domum meam iuxta terram Petri filii Hugueti de Besensens ex una parte et terram Petri dou Bos ex altera.// Unum morsellum terre et prati situm in territorio de Progin subtus domum liberorum Cristine inter terram Johannis de // Progin et terram Petri filii Thome de Bussignye. Item sex posas terre sitas in territorio deis Champez // inter terram Cristini de Ogo et terram Johannis Mauzmeler et iuxta terram Humberti Rastel a parte superiori et terram // dicti Johannis ab inferiori. Item duas posas terre sitas apud Progin inter terram quondam Arnole de Bussignye // et terram Petri filii Jaqueti de Bussignye. Item unam posam terre sitam in territorio dou Mares iuxta terram Thome // Brachet et iuxta terram Johannis de Sancto Martino. Et hoc pro quadraginta solidis monete nunc cursibilis // et uno capone annui redditus cens. quos solvere teneor et promitto per iuramentum meum dicto Nycholao et suis // heredibus annis singulis apud Illens in festo beati Martini hyemalis ; et in mutatione domini vel vaselli, // ego dictus Amedeus teneor et promitto pro me et meis heredibus solvere dicto Nycholao et suis heredibus // quadraginta solidos laus. Et si ego vel heredes mei committeremus vel delinqueremus in dominio dicti Nycholay, // tenemus per ipsum jus facere et solvere banna et clamas prout consuetum est. Hoc addito in premissis quod ratione // dicti homagii liberi, ego dictus Amedeus nec heredes mei non tenemur dicto Nicholao de Illens nec suis heredibus // in aliqua servitute sive in aliquo auxilio nisi in dicto censu ; et quod per ipsum debeamus ius facere et accipere // in bannis et clamis si committeremus, prout in littera quam a dicto Nicholao de Illens habeo de libertatibus meis // plenius continetur. Promittens ego dictus Amedeus pro me et meis heredibus, iuramento meo ad sancta dei euvangelia // corporaliter prestito, universa et singula supradicta firmiter attendere et inviolabiliter observare et contra predicta vel // aliquid de predictis sive presentem litteram per me aut per alium in futurum non facere vel venire, facto , verbo, opere vel // consensu. In cuius rei testimonium ego dictus Amedeus sigillum commune ballivie Waudi una cum sigillo domini Micha-//elis curati de Syens rogavi et feci ad preces meas apponi huic scripto, et nos Aymo dominus Montag-//niaci, miles, ballivus Waudi, ad preces et requisitionem dicti Amedei nobis oblatas per predictum Perrodum Arma // clericum de Melduno iuratum dicte ballivie Waudi cui ad premissa commisimus vices nos-

tras et fidem plenariam adhibemus, // predictum sigillum dicte ballivie Waudi presentibus litteris duximus apponendum. Datum die lune post festum beati // Martini hyemalis, anno domini M^o CCC^o vicesimo secundo.

Et ego juratus predictus rogatus et vocatus premissis omnibus interfui, predicta recepi, scripsi et signo manuali^{a)} signavi.

IX

1324 (1325), mars 1-24 *Manumission*

Original: parchemin 56/30 cm.

Sceaux (tombés): sur simple queue (par incision).

Ego Nycholaus de Yllens domicellus filius quondam Petri de Yllens domicelli notum facio universis presentibus et futuris quod ego sciens, prudens et // spontaneus, non vi, non dolo, non metu ad hoc ductus nec in aliquo circonventus sed ex mea certa sciencia et spontanea voluntate, considera-//ta utilitate mea et heredum meorum in posterum et in hoc plenius evidenti, de laude et consensu expresso Lyone, Iohannis et Nycholai liberorum meorum et // de laude et voluntate Perrodi dicti Wistarrens de Viviaco domicelli, mariti predictae Lyone, Andream, Willelmum et Nycholaum de Progin^{a)}, // fratres, filios quondam Roleti de Progin, homines meos talliabiles et heredes ipsorum presentes et futuros, manumitto, affranchio, liberos facio et quito // pro me et meis heredibus imperpetuum et irrevocabiliter ab omni tallia et homagio et ab omni vinculo, genere et nota tallie et servitu-//tis et do, trado, concedo et me dedisse, tradidisse et concessisse confiteor pro me et meis heredibus imperpetuum et irrevocabiliter prout melius // et sanius potest intelligi Andree, Willelmo et Nycholao de Progin fratribus predictis et eorum heredibus et liberis masculinis et feminis presentibus // et futuris pro se et suis heredibus puram et liberam (sic) libertatem, liberans penitus eximens et dirimens eos et quemlibet eorum a mea potestate, ma-//nu, dominio et ab omni conditione gravaminis, auxilii, operis, operarum, impositione tam obsequalium que consistunt in faciendo quam eorum que consistunt // in non faciendo et a iure patronatus et a revocatione in servitutem ob quamcumque ingratitude. Denuncians ego Nycholaus de Yllens domi-//cellus predictus pro me

a) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.

et meis heredibus ipsos Andream, Willelmum et Nychoalum fratres predictos et eorum heredes et liberos masculinos et feminas presentes et futuros esse liberos et puram libertatem habere, ipsos restituens iuri primevo quod omnes homines liberi nascebantur, tota servitus esset // incognita, do insuper et trado pro me et meis heredibus imperpetuum eisdem Andree, Willelmo et Nycholao fratribus predictis pro se et suis heredibus et cuilibet // ipsorum omnes res et possessiones quas possident et tenementa eorum, dans et tribuens eisdem et cuilibet eorum puram et meram libertatem et genera//lem administrationem omnium rerum suarum. Ita quod sine obstaculo servitutis et cuiuslibet alterius contraditione non obstante, ipsi omnes et singuli possint // emere, vendere, contrahere ac pacisci, in iudicio stare, testamenta facere, iurare villas et castra ubicumque et quocienscumque voluerint, facere burgensias quandocumque et quascumque voluerint et generaliter omnia et singula alia liberaliter exercere que quilibet ingenuus et liber homo paterfamilias et sui iuris // effectus facere potest. Et hoc pro sexaginta libris bonorum lausannensium michi traditis et solutis in bona pecunia numerata ab ipsis Andree, Willelmo et Nycholao fratribus predictis, de quibus me teneo pro contento et integre pro soluto, et pro sexaginta solidis bonorum lausannensium communiter currencium ad denariatas in Melduno inter vendentes et ementes et tribus caponibus census annuatim solvendis michi et meis heredibus apud Yllens ab ipsis Andree, Willelmo et Nycholao fratribus predictis et heredibus eorum, quolibet anno in festo beati Martini yemalis pro rebus et possessionibus inferius nominatis sitis // in territorio et finagio de Progin et de la Grangeta, videlicet pro uno *mas* terre et pratorum sito ante domum ipsorum Andree, Willelmi et Nycholai fratrum predictorum de Progin inter terram et prata Willelmi medici de Progin ex parte venti et terram dictorum Flori et terram liberorum // eis Mugnerat ex parte boree, et tenditur a strata ex parte superiori usque ad rubeam aquam ex parte inferiori et quicquid terre et pratorum posset inveniri inter limitationes predictas, excepto uno prato quod Amedeus dictus Rebat dou Bos tenet a domino Petro de Yllens milite // et excepto uno morsello prati quod predicti fratres tenent a Perrodo filio quondam Cononis de Yllens domicello. Item pro uno campo continente circa quatuor posas terre sito in territorio de la Grangeta inter territorium de Besensens ex parte venti et prata et campos // liberorum Iohanole de Progin ex parte boree, et tenditur a via publica ex parte superiori usque ad rubeam aquam ex parte

inferiori. Item pro duabus // posis terre sitis in loco dicto eis Covayes inter terram liberorum Iohanole de Progin ex utraque parte, et affrontant ex parte venti terre Mermeti // Pastoris de Vilar. Item pro uno prato sito inter unam ipsarum duarum posarum predictarum et rubeam aquam, et protenditur a prato liberorum predictae Io-//hanole usque ad pratum filiarum quondam dicti Andruer de Progin. Item pro dimidia posa terre sita prope domum liberorum predictae Iohanole ex parte venti // inter terram filiarum quondam predicti Andruer et terram liberorum predictae Iohanole. Item pro una ochia sita subtus domum liberorum predictae Iohanole et supra pratum quod fuit // ou Besson. Item pro tercia parte medietatis raspe site supra les Covayes. Item pro tercia parte unius morselli nemoris et unius morselli prati // sitorum in loco dicto *en l'essert* de la Plassi qui parciuntur cum liberis predictae Iohanole. Prout res et possessiones predictae in longum protenduntur et in latum // cum omnibus suis fondis, fructibus, pertinenciis et appendiciis universis et pro sexaginta solidis bonorum lausannensium solvendis michi et meis here-//dibus a prenomi- natis fratribus et heredibus eorum in mutatione domini et vassalli, hoc addito in premissis quod in tribus fratribus predictis et heredibus et liberis eorum // retineo pro me et meis heredibus banna et clamas in eo casu in quo committerent et deligerent in mea iuriditione et dominio meo, que et quas // solvere teneantur secundum consuetudinem loci. Promittens ego Nycholaus de Yllens domicellus predictus pro me et meis heredibus iuramento meo // eisdem Andree, Willelmo et Nycholao fratribus predictis et heredibus et liberis ipsorum masculinis et feminis presentibus et futuris super dicta libertate eisdem // a me data et tradita ut dictum est supra imperpetuum ferre bonam guerenciam contra omnes in iudicio et extra iudicium et in omni parte // litis et molestationis, et omnes et singulas res et possessiones predictas manutenere, guerentire et deffendere meis propriis expensis in pace // firmiter contra omnes in iudicio et extra, pro censu annuo supradicto, nulla sententia super predicta libertate expectata, et contra manumissionem, franche-//siam et libertatem predictam sive presentem litteram vel aliquid de predictis non facere, non venire nec alicui contravenire volenti consentire facto, verbo, opere // vel consensu aliquatinus infuturum. Et nos Lyona, Iohannes et Nycholaus liberi Nycholai de Yllens domicelli predicti et Perrodus maritus predictae Lyone, predicti, // scientes, prudentes et spontanei non vi, non dolo, non metu ad hoc inducti nec in aliquo circonventi, pro nobis et nostris heredibus manu-//

missionem, franchisesiam, libertatem et quitationem predictas et omnia et singula supradicta eisdem Andree, Willelmo et Nycholao fratribus predictis et heredibus et // liberis ipsorum laudamus, ratificamus, confirmamus, et approbamus et promittimus iuramentis nostris quod contra predicta vel aliquid de predictis sive presentem litteram // non faciemus, non veniemus aliquatinus in futurum. Renunciantes in hoc facto ex nostra certa sciencia, nos Nycholaus de Yllens domicellus predictus, // Lyona, Iohannes et Nycholaus eius liberi et Perrodus maritus predictae Lyone supradicti prout cuilibet nostrum competit et eo modo quo melius, comodius // et sanius potest intelligi, pro ipsis Andrea, Willelmo et Nycholao fratribus predictis et heredibus et liberis ipsorum, exceptioni doli, mali, metus et in factum // actioni, exceptioni dicte summe pecunie non habite, non recepte, non numerate, spei numerationis future, beneficio restitutionis in integrum, subsidio minoris precii, minoris etatis, iuri ypothecarum pro dote introducto, legi iulie de fondo dotali non alienando, omni // deceptioni et circonventioni, omni cause ingratitudinis, iuri dicenti deceptis debere subveniri, rei aliter scripte quam acte, omni iuri canonico et civili scripto et non scripto et omnibus et singulis aliis rationibus, actionibus, exceptionibus et allegationibus iuris et facti quibuscumque, // per que possemus quoquo modo coniunctim vel divisim ad presens vel infuturum venire contra predicta vel aliquid de predictis iurique dicenti generalem // renunciationem non valere nisi precesserit specialis. Promittentes nos Nycholaus de Yllens domicellus, Lyona, Iohannes et Nycholaus liberi eius predicti et Perrodus maritus predictae Lyone pro nobis et nostris heredibus, iuramentis nostris supra sancta dei euvangelia corporaliter prestitis, prout cuilibet nostrum competit, // eisdem Andree, Willelmo et Nycholao fratribus predictis presentibus, recipientibus et sollempniter stipulantibus pro se et heredibus et liberis ipsorum // presentibus et futuris, omnia et singula supradicta firmiter attendere et inviolabiliter observare et contra predicta vel aliquid de predictis sive presentem // litteram non facere vel venire per nos vel per alium nec alicui contravenire volenti consentire aliquatinus in futurum. In quorum omnium robur et // testimonium premissorum, nos Nycholaus de Yllens domicellus, Lyona, Iohannes et Nycholaus liberi eius predicti et Perrodus maritus Lyone predictae, sigillum commune // ballivie Waudi et sigillum discreti viri, scilicet domini Willelmi de Wistarnens curati de Sancto Martino in Waudo, rogavimus et fecimus // apponi huic scripto. Et nos Willelmus dominus Montagnaci, baillivus Waudi, ad preces et re-

quisitionem Nycholai de Yllens domicelli predicti, Ly-//one, Iohannis et Nycholai liberorum suorum predictorum et Perrodi predicti mariti predictae Lyone, nobis oblatas et fideliter relatas per Rodulphum filium quon-//dam Rychardi de Ruerya burgensis de Melduno, clericum iuratum dicte baillivie Waudi ad hoc specialiter constitum, cui quantum ad premissa // commissimus vices nostras et fidem plenariam adhibemus, predictum sigillum dicte baillivie Waudi presentibus litteris duximus apponendum in testimonium // omnium premissorum. Et ego Willelmus curatus de Sancto Martino in Waudu predictus, ad preces et requisitionem omnium prenominatorum quorum interest // una cum predicto sigillo dicte ballivie Waudi, sigillum meum apposui huic scripto. In testimonium veritatis omnium premissorum et ad maio-//rem omnium premissorum roboris firmitatem, ego Nycholaus de Yllens, domicellus predictus, sigillum meum apposui huic scripto. Datum // mense marcii ante annunciationem beate Marie virginis, anno domini Mo CCCo vicesimo quarto.

Et ego iuratus predictus, vocatus et rogatus, premissis omnibus presens interfui, predicta recepi, scripsi, deliberavi et signo // meo solito ^{b)} signavi.

a) Progens. b) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.

X

1327 (1328), janvier 5

Assignment par Louis II de Savoie, seigneur de Vaud, d'un cens de 50 sols laus. sur les revenus des fours de Rue, en faveur des métraux de Rue, soit en compensation d'un droit qu'ils prélevaient jadis sur des hommes taillables.

Original: parchemin 17 + 1,5/24 cm.

Sceau (tombé): sur double queue (par incision pratiquée dans le repli; une seconde incision a été opérée — sans doute par erreur — pour un sceau qu'aucune clause n'annonce).

Nos Ludovicus de Sabaudia dominus Waudi, notum facimus universis quod cum nos per quandam permutationem vel // scambium habitum inter venerabilem virum dominum abbatem Sancti Mauricii et nos, dederi-

mus eidem domino abbati villam // nostram d(°)Auborenges a) et mistraliam dicti loci, que mistralia erat Nichodi, Bertodi et Johannis dictorum Mestraus // de Rota ac heredum Iordani Mistralis de Rota quondam. Item et cum nos certos nostros homines tailliabiles b) // in castellaniis Rotondimontis et Rote franchiaverimus et res quas a nobis tenebant tailliabiles assen-//saverimus eisdem, super quibus dicti mistrales et heredes predicti Iordani dicebant se gravari et jus quod habebant // in predictis hominibus tailliabilibus ratione mistralie de Rota, videlicet de decimo denario c) dicebant amiti ratione predictae // franchise, Nos vero predictis mistralibus remunerationem facere volentes de premissis, pro nobis et nostris // heredibus perpetuo in remunerationem et recompensationem predictorum damus et concedimus predictis Nichodo, Bertodo // et Johanni mistralibus fratribus ac heredibus dicti Iordani Mistralis quondam ac heredibus et successoribus predictorum // quinquaginta solidos bonorum lausannensium annui redditus percipiendos, habendos et levandos per predictos // et heredes suos anno quolibet super redditibus et exitibus furnorum nostrorum de Rota in festo beati Andree // apostoli. Mandantes et precipientes tenore presencium furneriis nostris predictorum furnorum qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint // quod de censeria furnorum nostrorum predictorum solvant et deliberent anno quolibet ad predictum terminum predictis // Nichodo, Bertodo et Johanni fratribus ac heredibus dicti Iordani et eorum omnium heredibus quinquaginta solidos laus. // antedictos, nullo alio mandato a nobis super hoc expectato. Precipimus eciam pro nobis et nostris per presentes castellano // nostro de Rota qui nunc est et qui pro tempore fuerit quod dictos furnerios si in dicta solutione deficerent, ad hoc faciendum // compellat. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum apud // Rotondummontem die quinta mensis januarii, anno domini millesimo CCCmo vicesimo septimo.

a) Le 21 juillet 1317, Louis de Savoie céda à l'abbaye de Saint-Maurice tous ses droits sur Auboranges, ne retenant pour lui que le dernier supplice des condamnés à mort, contre les droits que celle-ci possédait à Vuadens (voir art. Auboranges dans le DHBS). b) Ce mot est généralement orthographié *talliabiles*. c) Voir Document XIX.

XI

1335, juillet 16

Partage de compétences judiciaires relatif aux biens meubles et immeubles d'un débiteur, dont un « héritage » tenu en fief lige.

Copie informé: papier, fin du XVII^e ou début du XVIII^e siècle.

Ego Antonius Cornu de Vulliens, castellanus Rote, domicellus, notum facio universis quod cum Perissona relicta Petri Fabri de Rota et filii sui Jorandus et Rodolphus fratres dicti Contoz de Vuarmarens et plures alii michi clamam fecissent Rote de Johanne Page de Mossel et supra omnia bona sua mobilia et immobilia et specialiter supra hereditatem ipsius que movet pro parte ad feudum ligium a viris religiosis, domino abbate et conventu Altecriste cisterciensis ordinis lausannensis diocesis, pro pluribus et diversis debitis in quibus dictus Johannes Page dictis creditoribus tenebatur. Quo facto dicto, domino abbate sciente clamam michi factam, a predictis creditoribus supra res et possessiones dicti feudi sui, venit ad me apud Rotam die dominica post festum beatorum apostolorum Petri et Pauli et me rogavit requirendo nomine suo et conventus sui quod ego causas, questiones et clamam predictas factas supra possessiones feudi sui, de quo feodo michi fidem fecit per litteras suas, audire seu determinare nollem sed ipsas coram ipso reponerem, cum ad ipsos religiosos spectaret audire et determinare causas, questiones et clamam factas et faciendas supra res et possessiones feudi sui et non ad me, et paratus essem facere unicuique conquerenti supra res feudi sui in curia sua justitie complementum, et sibi super hoc assignari unam diem petiit et cognitionem sive iudicium proborum hominum. Et ego dictus castellanus dictis religiosis et creditoribus assignavi diem apud Rotam ad faciendum quod jus esset de predictis, scilicet diem dominicam ante festum beate Marie Magdalene. Interim ego habere volui consilium et deliberationem super hoc cum consilio illustris viri domini mei charissimi, Ludovici de Sabaudia domini Waudi. Qua die dominica predicta dictus dominus abbas nomine suo et conventus sui et etiam creditores coram me Rote in iudicio comparuerunt et dictus dominus abbas me requisivit ut supra et posuit nomine quo supra in iudicio, jure et cognitione de predictis. Cognitum et iudicatum fuit per virum religiosum dominum abbatem Alteripe, dominum Petrum de Yllens, dominum Humbertum dominum de Pallesioux, dominum Anthonium de Vulliens, dominum Richardum de Prez, dominum Petrum de

Gumoens, milites, Johannem de Prez domicellum, Perrodum Toma, Johannodum Palliere clericos, Nicolaum et Johannem mistrales Rote et per quamplurimos alios fide dignos mecum in curia existentes et iudicantes quod ego clamas et questiones factas supra res et possessiones feodi sui dictorum religiosorum a dictis creditoribus, audire et determinare non poteram nec debebam sed ipsas reponere abbati et tenebar dictis religiosis et in curia sua, cum quibus prenarratum consilium domini mei predicti, domini Ludovici, et ego concordavimus. Quare ego dictus castellanus de consilio et iudicio prenominatorum, dictas clamas et questiones factas et faciendas supra res et possessiones feudi dictorum religiosorum coram ipsis religiosis et in curia sua totaliter reposui, remisi et repono, retinendo semper michi dicto castellano et successoribus meis de cognitione et iudicio prenominatorum, quod possumus facere jus supra bona mobilia dicti Johannis Page tantum cuilibet de ipso conquerenti. In cujus rei testimonium ego dictus castellanus sigillum meum apposui huic scripto. Et nos Aymo dominus de Sarrata ballivus Waudi, sigillum commune ballivie Waudi, ad preces et requisitionem omnium prenominatorum nobis oblatas fideliter et relatas per Perrodum Arma de Melduno clericum juratum cui ad premissa commisimus vices nostras et fidem plenariam adhibemus, presentibus litteris duximus apponendum. Datum dicta die dominica ante festum beate Marie Magdalene anno 1335 (sic).

XII

1337, mai 9

*Manumission**Original*: parchemin 24/28 cm.*Sceau (tombé)*: sur simple queue (par incision).

Nos Johannes et Nicholaus fratres filii quondam Nicholai de Illens domicelli, notum facimus universis quod nos scientes et spontanei pro nobis et nostris // heredibus manumittimus, affranchimus et liberos aimus pure, irrevocabiliter et imperpetuum Mermetum filium quondam Thome ou Gotrux de Chessales // ante Orons et heredes dicti Mermeti de corpore suo legitime procreatos vel procreandos, ab omni tallia, homagio, nota exactione servitii et servi-//tutis cuiuscumque et super omnibus aliis actionibus personalibus et realibus, petitionibus, calumpniis et querelis

quas contra ipsum vel heredes suos quos supra // habemus vel habere
 possemus infuturum quoquomodo, qualicumque ratione, titulo seu causa,
 a toto tempore retroacto usque ad diem hodiernum, videlicet pro decem //
 et novem libris bonorum lausannensium quas a dicto Mermeto habuimus
 et recepimus in bona pecunia numerata, nomine et ob causam manumis-
 sionis // et affranchimenti predictarum (sic). Et pro eo quod dictus Mer-
 metus pro se et suis heredibus nobis et nostris heredibus quitavit perpetuo
 penitus et remisit // omnimodam partem suam totius hereditatis dicti
 quondam Thome Gotrux patris sui et matris sue, et quicquid sibi posset
 infuturum de dicta heredi-//tate parentum suorum devenire vel in eadem
 quoquomodo reclamare. Volumus etiam nos Johannes et Nicholaus fra-
 tres predicti, et dicto Mermeto // et suis heredibus quibus supra pro nobis
 et nostris heredibus quibus supra concedimus quod ipse et sui heredes qui
 supra ex nunc in antea possint facere burgen-//sias, gardas et villas jurare
 ubicumque et quotienscumque voluerint quando sibi melius videbitur
 expedire ut homines liberi facere possunt. // Promittentes nos Johannes et
 Nicholaus fratres predicti pro nobis et nostris heredibus, juramentis nos-
 tris supra sancta dei euvangelia corporaliter prestitis et sollempni // stipu-
 latione vallatis, universa et singula suprascripta attendere, complere et
 inviolabiliter observare et contra non facere vel venire infuturum facto,
 verbo // vel opere nec cuicumque contravenire volenti consentire. Renun-
 tiantes in hoc facto nos Johannes et Nicholaus fratres predicti ex certa
 scientia nostra in hoc // facto omni actioni et exceptioni doli, mali, metus,
 actioni in factum, exceptioni non numerate pecunie et non recepte, spei
 receptionis future, juri // deceptis subvenienti ultra dimidiam iusti pretii
 vel extimationis, omni deceptioni, lesioni et circumventioni, confessioni
 ex falsa causa vel ex // iniusta causa, promissioni indebite, omni cause
 non vere, copie huius instrumenti diei ad dicendum contra presens instru-
 mentum et omni iuri // canonico et civili scripto et non scripto per quod
 nos vel alter nostrum seu heredes nostri possemus venire contra predicta
 vel aliquid de predictis. Ego // vero dictus Mermetus omnia et singula
 confiteor esse vera et ea promitto attendere et inviolabiliter observare et
 contra non facere vel venire // infuturum. Duplicatum est presens instru-
 mentum, ita quod Mermetus habeat unum sigillatum sigillo curie lausan-
 nensis, et Johannes et Nicholaus // fratres aliud sigillatum sigillo communi
 ballivie Waudi. In cuius rei testimonium nos Johannes et Nicholaus fra-
 tres predicti et ego dictus Mermetus // sigillum commune ballivie Waudi

rogavimus et fecimus apponi huic scripto. Et nos Rodulphus de Orons dominus de Atthalens miles ballivus // Waudi, ad preces et requisitionem omnium predictorum quorum interest nobis oblatas per Johannodum Palliere clericum de Melduno juratum dicte ballivie // cui super hoc fidem adhibemus, sigillum dicte ballivie presentibus duximus apponendum. Datum nona die mensis maii, anno domini millesimo // CCC^o tricesimo septimo.

Et ego juratus predictus predicta recepi, hanc litteram scripsi et signo meo ^{a)} signavi rogatus.

a) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.

XIII

1341, mai 27 *Privilège accordé par Louis II de Savoie, seigneur de Vaud, aux habitants de Saint-Martin en Vaud.*

Original: parchemin 23 + 3/19 cm.

Sceau (tombé): sur double queue, par double incision pratiquée dans le repli, cire rouge.

Nos Ludovicus de Sabbaudia dominus Waudi notum facimus universis quod nos, // considerata utilitate nostra et omnium proborum hominum de monte Sancti Martini, dedimus et damus // pro nobis et nostris heredibus ad firmam perpetuam predictis probis hominibus dicti montis Sancti Martini // et eorum heredibus, clamas trium solidorum obvenientes ex nunc in dicto monte Sancti Martini // castellanie nostre Rote, videlicet pro centum solidis bonorum lausannensium monete cursibilis annuatim // censualibus solvendis et reddendis nobis et nostris heredibus aut mandato nostro apud Rotam // singulis annis in festo beati Andree apostoli. Et pro viginti libris bonorum lausannensium quas a dictis // probis hominibus integre habuimus et recepimus in bona pecunia numerata nomine et ob causam // introgii firme perpetue supradicte, tali conditione in premissis apposita quod dicti probi homines et sui heredes // tenentur et debent jus nostrum bene et fideliter servare et nobis et nostris heredibus perpetue appli-//care et banna obveniencia quecumque sint castellano nostro Rote

qui nunc est et qui pro tempore fuerit // manifestare, et ibidem ponere aliquem ipsorum ad audiendum et recipiendum dictas clamas trium solidorum // dicti montis Sancti Martini. Ita quod ille qui per ipsos positus fuerit ad recipiendum et audiendum dictas clamas teneatur singulis annis jurare et fidem facere in manu dicti castellani nostri Rote quod jus nostrum // servabit et nobis applicabit et banna ibidem obveniencia castellano nostro predicto denunciabit et // quod aliquem indebite non gravabit, et quocienscumque dictus auditor et receptor aliquod bannum celaret // vel jus nostrum et dicto castellano nostro non denunciaret, ut predicatur, et probari posset per probos // homines fide dignos, pro quolibet banno celato nobis et nostris heredibus in sex libris laus. teneatur, // de quibus dictis sex libris dicti probi homines dicti montis Sancti Martini se constituerunt et obliga-//verunt fideiussores et redditores. In banno sexaginta solidorum obveniente in dicto monte // Sancti Martini, facto per clamam et denunciato dicto castellano nostro Rote per dictos probos homines seu per // dictum recipientem et audientem dictas clamas trium solidorum, dicti probi homines et heredes ipsorum si integre // recuperare(n)tur, debent habere tres solidos et si integre non recuperarentur dicti sexaginta solidi, debent // habere ratam dictorum trium solidorum secundum marciationem dicti banni. Promittentes nos prefatus // Ludovicus pro nobis et nostris heredibus bona fide nostra predicta attendere et contra non facere vel // venire in futurum. In cuius rei testimonium, nos prefatus Ludovicus sigillum nostrum hiis // presentibus litteris duximus apponendum. Datum apud Rotundum Montem, vicesima septima // die mensis maii, anno domini millesimo CCC^o quadragesimo primo.

XIV

1341, juin 14

Privilèges octroyés à la commune de Rue par Louis II de Savoie, seigneur de Vaud.

Copie informé: parchemin, sans date, probablement de la fin du XIV^e siècle.

Nos Ludovicus de Sabaudia dominus Waudi, notum facimus universis presentibus et futuris quod nos dedimus et concessimus per decem annos // proximo venturos communitati ville nostre de Rota ea que se-

quantur. In primis dedimus pontenagium pontis ville nostre de Rota predicta, scilicet // quod dicta communitas possit percipere et levare per tempus predictum tantum a quocumque curru ponderato vel honerato et ferrato transeunte per dictum pontem // quatuor denarios laus. Et a curru non ferrato ibidem transeunte duos denarios dicte monete. Et a quocumque roncino ponderato vel honerato // aut equa transeuntibus per dictum pontem unum denarium eiusdem monete predictae. Et si aliquis predictorum curruum vel roncinatorum aut equarum denia-//rent (sic) transire per dictum pontem ad defraudationem ipsius communitatis propter predictas pecunias non solvendas, volumus quod in predictis teneantur sicut quod alii qui // supra dictum pontem transibunt. Item dedimus et concessimus eidem communitati per tempus predictum tantum, languerum seu *languel* vini totius ville, castri // et castellanie nostre de Rota predicta per modum et formam per nos communitati nostre ville de Melduno datam et concessam. Item dedimus et concessimus eidem // communitati nostre ville de Rota in nemore nostro dicto *dou devein* totam corticem omnium nemorum seu arborum cissorum et cindendorum per supradictum tempus tantum. // Item volumus perpetue et irrevocabiliter pro nobis et nostris heredibus quod castellanus noster de Rota qui nunc est vel qui pro tempore fuerit in dicto nemore dicto *dou // devein* ponat unum forestarium fidelem et ydoneum qualemcumque dicta communitas nostra eidem castellano presentabit et eidem communitati placebit, ad custo-//diendum legitime ad opus nostri et dicte communitatis nemus nostrum predictum una cum usu seu *cour* hactenus in dicto nemore nostro per dictam communitatem // nostram consueto, quem usum prout consuevit dicta communitas eidem communitati confirmamus. Ita tamen quod dictus forestarius iuret supra sancta // dei euvangelia in manu castellani nostri predicti custodire fideliter nemus nostrum predictum ad opus nostri et dicte communitatis. Et credere teneatur^{a)} dicto foresterio (sic) // per juramentum suum super banno omnium in dicto nemore cindentium vel delinquentium prout alias in dicto nemore extitit consuetum. Item dedimus et con-//cessimus imperpetuum eidem communitati ad opus capellani servientis in capella de Rota, fructus, herbas et joancias duarum sectoratarum prati seu // pasquerii sitarum in territorio dicto *dou Bos*^{b)} iuxta viam publicam per quam itur versus la Jour^{c)} ex una parte et pratum dominorum de Bossenams^{d)} ex // altera, quas recuperavit dicta communitas a dominis de Bossenams. Ita quod dicta communitas dictas duas sectoratas prati seu pasquerii pos-

sit perpetuo // ad opus dicti capellani ponere ad proprium seu *en devein* pro libito sue voluntatis. Et hec omnia supradicta eidem communitati nostre ville de Rota // concessimus et dedimus pro negociis ipsius communitatis melius faciendis et expediendis. Promittentes nos Ludovicus predictus pro nobis et successoribus // nostris eidem communitati nostre ville predicte de Rota omnia predicta per modum superius declaratum per nos eidem communitati data et concessa, rata et firma // habere et tenere et contra ea non facere vel venire per nos vel per alium infuturum. In cuius rei testimonium nos Ludovicus predictus sigillum // nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum Morgie die quartadecima mensis junii, anno domini millesimo CCCo quadragesimo primo. S.

a) *teneatur* est sans doute ici une forme impersonnelle à moins qu'il ne se rapporte à *castellanus noster* de l'avant-dernière phrase. b) *Le Bos*: ancienne appellation (= *le Bois*) du village de Fiaugères (voir la carte). On disait aussi *la villaz dou Bos es fyougires (fougères)*. c) *la Jour*: La Joux (voir la carte). d) Mis sans doute pour *Bossonnens* (voir la carte); encore une des nombreuses fautes de transcription qui parsèment ce texte et indiquent qu'il s'agit bien d'une copie et non d'un original. D'ailleurs l'absence de toute marque d'attache du sceau corrobore cette façon de voir.

XV

1345 (1346), février 18 *Louis II de Savoie, seigneur de Vaud, ratifie la vente de la dîme de Vauderens.*

Original: parchemin 22/29 cm.

Sceau (fragment): sur simple queue (par incision).

Nos Ludovicus de Sabbaudia dominus Waudi notum facimus universis presentibus et futuris quod cum dilectus fidelis noster // Johannes de Prez domicellus pro se et suis heredibus assignatis vel assignandis suis perpetue emerit et adquisierit a Roletto filio // quondam Humberti Pachot de Nervauz domicelli et Henrieta uxore dicti Roleti totam decimam dictorum coniugum ville et // tocuis territorii de Vouderens prout dicta decima in longum se extendit et in latum cum suis juribus, exitibus, proventibus, // juanciis, emolumentis, pertinenciis et appendenciis universis, videlicet pro sexaginta libris bonorum lausannensium quas dicti coniuges a // dicto Johanne integre habuerunt nomine precii venditionis predicte, que quidem decima predicta recolligitur per modum qui sequitur, videlicet // de

novem cupis tocius bladi decime dicte *deys chans* quatuor cupas et sextam cupam tocius bladi decime dicte *deys // bos*. Quam quidem totam decimam superius declaratam et venditam predictus Roletus venditor tenebat ad feodum ligium a Giraldo // filio quondam Uldrici Mistralis Rotundimontis et a Nicholao filio quondam Humberti Cadoti de Vouderens et dicti Giraldus // et Nicholaus tenebant dictam decimam *dey chans* a nobis prefato Ludovico ad feodum ligium et aliam decimam *deys // deys* (sic) *bos* a predicto Johanne de Prez emptore ad planum feodum prout hec omnia in littera super dicta venditione confecta cui presens // littera est agnexa (sic), plenius continentur. Nos prefatus Ludovicuss cientes et spontanei pro nobis et nostris, predictam emptionem // predictae decime *deys chans* et omnium premissorum predicto Johanni et suis quibus supra perpetuo laudamus, ratificamus, approbamus et // penitus confirmamus per presentes in augmentum feodi et sub feodo quod dictus Johannes de Prez a nobis tenet, et hoc // de gracia speciali et pro eo quod dictus Johannes pro se et suis quibus supra a nobis tenet et reppendit perpetuo ad feodum et // sub feodo predicto et homagio ligio predictam decimam suam *deys bos* quam tenebat de franco allodio. Et generaliter quicquid de dicta // decima ville et territorii de Vouderens dictus Johannes tenet quoquomodo a nobis, sub dicto feodo moveatur. Ita quod pro hiis et // aliis rebus quas dictus Johannes de Prez domicellus a nobis tenet ad feodum, idem Johannes pro se et suis heredibus in uno // solo feodo et homagio ligio nobis et nostris perpetue teneatur. Promittentes nos prefatus Ludovicus pro nobis et nostris // omnia predicta attendere et contra non facere bona fide nostra per nos vel per alium infuturum, salvo tamen jure nostro in premissis et // alterius cuiuscumque. In cuius rei testimonium nos prefatus Ludovicus sigillum nostrum duximus presentibus litteris apponendum. Datum Mor//gie die decima octava mensis februarii, anno domini millesimo CCC^o quadragesimo quinto.

Habui ego g. du blockhus ^{a)}unum florenum.

a) Lecture incertaine.

XVI

1353, août 3

Isabelle de Chalon, dame de Vaud, confirme Perrod Pomel, son bourgeois de Rue, dans la jouissance de certains biens et privilèges.

Original: parchemin 19/43 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).

Nos Ysabella de Cabilone domina Waudi notum facimus universis quod cum Perrodus Pomel burgensis noster Rote sit de progenie illorum dou Teyt de Escublens prope Rotam qui nobis nec // predecessoribus nostris non consueverunt solvere in dicta villa de Escublens blavaneriam, caponeriam nec panateriam pro usagiis que nobis debentur in castro nostro Rote annuatim ab aliis personis dicti // loci de Escublens. Et dictus Perrodus Pomel de novo construerit seu fecerit in dicta villa de Escublens quamdam domum supra tenementum et albergamentum suum dicte progenie (sic) sue // predictorum dou Teyt inter domum heredum Johannodi fratris Ansermodi de Escublens a parte venti et carreriam publicam a parte boree. Nos dicta Ysabella pro nobis et nostris confitemur ac eciam // concedimus per presentes predicto Perrodo Pomel et suis heredibus irrevocabiliter et imperpetuum quod ipse heredesque sui si forte infuturum morarentur in domo sua predicta vel ipsam cum quibusdam aliis rebus // quas habet apud Escublens accensarent vel ponerent ad medium lucrum alicui persone que in dicta domo moraretur in futurum, non teneantur nobis vel nostris in blavaneria, caponeria // et panateria predictis sed inde sint quitti, liberi penitus et immunes. Retentis nobis et nostris aliis usagiis nobis debitis ab aliis ibidem ad que ille qui in dicta domo moraretur nobis et // nostris perpetue teneatur. Item cum dictus Perrodus Pomel emerit et adquisierit ipse seu teneat ratione gagerie vel alie obligationis ea que inferius declarantur. Primo tenementum quondam Nicholai // et Aymoneti, Uldrici Jotaz de Promasens. Item tres pecias terre de tenemento quondam Perrodi clerici de Promasens sitas in territorio de Escublens quarum una jacet in loco dicto en Conches juxta // pratum heredum Perreti dicti Fuser de Escublens a parte occidentali et terram Jaqueti de Carro a parte orientali. Alia jacet en Pont juxta terram suam dicti Perrodi Pomel a parte occidentali et terram Girardi // Estacer de Eschiens a parte orientali. Et alia jacet en Vernea juxta pratum heredum Jacobi de Pesex de

Escublens a parte orientali et terram heredum Perrodi Meler de Escublens // a parte occidentali, pro quibus dictus Perrodus nobis debet annuatim sex denarios laus. censuales. Item totum tenementum Aymoneti filii quondam Johannis filii Juliani de Bollos. Item unam posam // terre que fuit Petri filii quondam Juliani predicti de Bollos sitam eys lons Chans juxta terram dicti Aymoneti pro qua nobis debentur annuatim sex denarii lausan. census. Item unum pratum situm // en Maulborget juxta pratum Perreti filii quondam Ancellini et juxta *lo deven*, quod pratum dictus Perrodus Pomel acquisivit a Johanneto filio quondam Lamberti Farnex. Item teneat de tenemento // quondam Jordani filii Auberti Cotet de Rota in territorio deis Chavanes in loco dicto *en l(')Esser* unam posam et dimidiam terre que fuerunt de dote quondam Perrussete uxoris dicti Jordani, filie quondam // Beatricis...^{a)} Item de eodem tenemento unam ochiam continentem dimidium fossorerium sitam en Laya juxta terram que fuit Huguerii Vioio de Rota. Prout dicte res, possessiones // seu tenementa in extenta nostra Rote limitantur et declarantur cum juribus et pertinenciis suis universi, videlicet pro certis quantitibus pecunie vel bladi contentis in litteris suis super premissis ven-//ditionibus, gageriis vel obligationibus confectis. Nos dicta Ysabella scientes et spontanee pro nobis et nostris, universa et singula predicta dicto Perrodo Pomel pro se et suis heredibus laudamus, ratificamus, // approbamus perpetuo, penitus confirmamus irrevocabiliter per presentes, videlicet pro sex libris novem solidis bonorum lausannensium quos et quas a dicto Perrodo Pomel integre habuimus et recepimus // in bona pecunia numerata nomine et ob causam laudis et laudemii inde nobis debitarum (sic), salvis tamen in premissis nobis et nostris censibus inde nobis debitis annuatim et jure nostro et alterius // cuiuscumque. Promittentes bona fide nostra pro nobis et nostris omnia predicta attendere et non contra facere vel venire per nos vel per alium infuturum. In cuius rei testimonium, nos dicta Ysabella sigillum nostrum // presentibus litteris duximus apponendum. Datum die tertia mensis augusti, anno domini millesimo CCCo quinquagesimo tercio.

a) Texte effacé.

XVII

1354 (1355), janvier 25

Partage de la ferme de la messeillerie de la paroisse de Promasens, entre plusieurs communes comprises en celle-ci.

Original: parchemin 32/28 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).

Nos Roletus de Quarroz, Petrus filius quondam Amedei dicti Estacer, Perrodus Morel filius quondam Jacobi // de Pesex et Uldricus Willienchat de Escublens prope Rotam nomine nostro et pro communitate dicte ville de Escublens ; // Roletus Ros, Johannes nepos eius et Girardus Estacers de Eschiens nomine nostro et pro communitate dicte ville de Eschians ; Jordanus filius quondam Perrodi Flour, Uldricus Jotat, Jaquetus dou Bos, Johannetus de Cudrea et Girardus // Sorsy de Promasens pro nobis et communitate dicte ville de Promasens ; Perrodus filius quondam Jannini religatoris et Thoren//chius gener Borquardi Espagnyot de Gillarens nomine nostro et pro communitate ville de Gillarens ; Nycholaus Bessom, // Johannetus Bollein, Nycholaus de Salice et Johannetus Comitibus de Capella supra Gillarens nomine nostro et pro communitate ville // dicti loci de Capella ; Nycholaus Lamberti de Mossel et Bertholdus de Vauz nomine nostro et pro communitate villarum // de Mossel, deys Curbierez et illorum de Vauz. Notum facimus universis quod cum predicte communitates villarum predictarum // debeant annuatim illustri et potenti domine, domine nostre carissime, domine nostre Waudi vel suis assignatis apud Rotam // novem libras laus. et octo libras cere pro firma missillierie parrochie de Promasens, nos prenominati qui supra nomine // nostro et communitatum villarum predictarum, ordinavimus, divisimus ac eciam partimur per presentes inter communitates predictas predictam // firmam missillierie predicte solvendam per decem annos proxime venturos nunc incipientes tantum, per modum inferius declaratum // videlicet quod communitas predicte ville de Escublens inde solvat et solvere teneatur per dictos decem annos triginta octo // solidos laus. et unam libram cere tantum. Item communitas predicte ville de Eschiens, viginti octo solidos laus. et duas // libras cere tantum. Item communitas predicte ville de Promasens, triginta tres solidos laus. et unam libram cere tantum. Item // communitas predicte ville de Gillarens, quatuordecim solidos laus. et

unam libram cere tantum. Item communitas predicte ville // de Capella, triginta quatuor solidos laus. et duas libras cere tantum. Item communitas predictarum villarum de Mossel, deys // Curbierez et illorum de Vauz, triginta tres solidos laus. et unam libram cere tantum. Et hec omnia et singula supradicta // volumus pro nobis et communitatibus predictis per dictos decem annos tantum inviolabiliter observari, salvo et retento durante dicto tempore // cuilibet communitati villarum predictarum jure suo gerbarie territorii dictarum villarum. Promittentes pro nobis et communitatibus predictis, juramentis nostris // supra sancta dei euvangelia corporaliter prestitis, omnia predicta attendere et inviolabiliter observare. In cuius rei testimonium, nos Johannes // condominus de Blonay, miles, ballivus Waudi, ad preces et requisitionem predictorum Roleti de Quarroz, Petri filii Amedei Estacer, // Perrodi Morel, Uldrici Willienchat de Escublens, Roleti Ros, Johannis nepotis eius, Girardi Estacer de Eschiens, Jordani // filii quondam Perrodi Flour, Uldrici Jotat, Jaqueti dou Bos, Johanneti de Cudrea, Girardi Sorsy de Promasens, Perrodi filii Jan-// nini religatoris, Thorencii generi Borquardi Espagniot, Nicholai Besson, Johanneti Bollein, Nicholai de Salice, Johanneti Comititis, // Nicholai Lamberti et Bertholdi de Vauz, nobis oblatas fideliter et relatas per Johannem de Sancto Ciriaco, clericum juratum ballivie Waudi, // cui super hoc fidem plenam adhibemus, sigillum commune dicte ballivie duximus presentibus litteris apponendum. Datum vicesima quinta // die mensis januarii, anno domini millesimo CCCo quinquagesimo quarto.

Et ego juratus predictus predicta recepi, scripsi et signo meo^{a)} signavi rogatus.

Hec est littera illorum de Promasens.

a) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.

XVIII

1359, novembre 17

*Remise en fief lige d'une part de la dîme de Mossel.**Original: parchemin 17/25 cm.**Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).*

Ego Johannes de Yllens domicellus filius quondam Nichodi de Yllens domicelli, notum facio universis presentibus et futuris // quod ego sciens et spontaneus, non seductus nec coactus, de jure meo ad plenum certificatus pro me et meis heredibus posui et pono ac eciam dimitto per presentes imperpetuum in feodum et homagium ligium Perrodo filio quondam // Mermeti dou Bos in parrochia Sancti Martini in Waudo homini meo ligio pro se et suis heredibus, sextam partem // decime de Mossez ^{a)} prout partitur cum comparconariis suis, prout dicta sexta pars dicte decime in longum protenditur // et in latum cum fondis, juribus, pertinentiis et appendiciis suis universis, videlicet pro duobus denariis bonorum // lausannensium communiter cursibilium census solvendis annuatim michi dicto Johanni vel meis heredibus per dictum Perrodum et // suos heredes in domo mea apud Yllens perpetue in festo nativitatis beati Johannis Baptiste et pro viginti denariis // laus. dicte monete solvendis per dictum Perrodum perpetue et suos heredes michi dicto Johanni vel meis heredibus in mutatione domini et vasselli ultra duos denarios predictos qui debentur pro recognitione dicti feodi. Promittens ego // dictus Johannes pro me et meis heredibus, juramento meo supra sancta dei euvangelia corporaliter prestito et stipulacione sollempni, predictam sextam partem decime supradicte dicto Perrodo et suis heredibus pro homagio et censu predictis perpetue manutenere, guerentire et deffendere ab omnibus et firmiter contra omnes, omni excepcionem juris et // facti remota. Et juro ad sancta dei euvangelia ego dictus Johannes universa et singula predicta attendere et // non contra facere vel venire per me vel per alium modo aliquo in futurum. In cuius rei testimonium nos Franciscus dominus // de Sarrata miles castellanus Rote, ad preces et requisicionem predicti Johannis de Yllens domicelli nobis oblatas fideliter et relatas per Johannem de Ursin clericum juratum castellanie Rote cui super hoc fidem plenariam // adhibemus, sigillum dicte castellanie duximus presentibus

litteris apponendum. Datum decima septima die mensis // novembris, anno domini M^o CCCmo quinquagesimo nono.

Et ego juratus predictus predicta recepi, scripsi et signo^{b)} meo signavi rogatus.

a) Mossez ou Mossel (voir la carte). b) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.

XIX

1359 (1360), mars 10

Taillable affranchi réservant certains droits exercés par les métraux de Rue sur les taillables de Lieffrens.

Original: parchemin 15/24 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue.

Ego Perretus dictus Guer de Lyefrens, notum facio universis presentibus et futuris quod // cum ego teneam et possideam ab illustri viro et potente domino meo carissimo domino Waudi // duo tenementa, scilicet unum quod fuit mei et predecessorum meorum et aliud quod fuit quondam Johannis // Charroton de Lyefrens, que duo tenementa solent moveri et teneri ad talliam, et dominus meus // predictus Waudi me cum bonis meis affranchiaverit salvo jure mistralium de Rota, ego dictus // Perretus Guer debeo et me debere confiteor per presentes perpetue dictis mistralibus annuatim in // festo beati Andree apostoli duas cupas avene ad mensuram ibidem assuetam, mensurare dictis mistralibus // suam avenam a talliabilibus dicti loci de Lyefrens, et hoc pro duobus tenementis predictis. Promittens ego // dictus Perretus pro me et meis heredibus juramento meo supra sancta dei euvangelia corporaliter prestito omnia predicta attendere // perpetue et inviolabiliter observare. In cujus rei testimonium nos Franciscus dominus de Sarrata miles castellanus // Rote, ad preces et requisicionem dicti Perreti Guer nobis oblatas fideliter et relatas per Johannem de Sancto Cyriaco // clericum juratum castellanie Rote cui super hoc fidem plenariam adhibemus, sigillum dicte castellanie duximus

// presentibus litteris apponendum. Datum decima die mensis marcii incarnationis, anno domini Mo CCCo quinquagesimo nono.

Et ego juratus predictus predicta recepi, scripsi et signo meo^{a)} signavi rogatus.

a) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.

XX

1362, mai 19

Mandement adressé par Amédée VI, comte de Savoie, au châtelain de Rue, relatif à une indemnité payable au donzel Jean d'Yllens.

Original: parchemin 15/27 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).

Amedeus comes Sabaudie dilecto castellano nostro Rote presenti et futuro vel eius locumtenenti, salutem. Quia Johannes de Yllens // domicellus fidelis noster nobis exposuit quod quantitates frumenti et avene de quibus agitur in litteris hic annexis percipere non potest de // et super avoeria in ipsis litteris nominata, super qua per dictarum litterarum tenorem dictas debet percipere quantitates donec sibi fuerint assignate, // scilicet propter mortalitates preteritas in tantum sunt emolumenta ipsius avoerie diminuta quod tres cupe frumenti et octo cupe avene // per annum ad mensuram in ipsis litteris nominatam sibi defficiunt. De quantitatibus predictis quas non potest percipere super avoeria // memorata, scilicet nostrorum receptores computorum tibi undecim cupas frumenti tantum et quantitatem avene predictam usque ad dictas // septem cupas pro anno domini millesimo CCCo LXIo allocaverunt et non ultra. Super quibus dicto Johanni volentes ut convenit providere, // visis dictis litteris hic annexis, tibi mandamus quatenus de dictis tribus cupis frumenti et septem cupis avene pro dicto anno LXIo et abinde // singulis annis, donec super dicta avoeria percipi valeant quantitates in dictis litteris contente vel per nos aliter fuerint assignate, pro dicti // defectus supplemento dicto Johanni et suis pro nobis satisfacias atque solvas. Et nos, ipsas quantitates de quibus sic per te fuerit // satisfactum, habita dicti Johannis littera de recepta cum copia presencium in prima solucione, tibi in tuis

primo et sequentibus singulis // computis precipimus allocari. Datum in Rotondomonte die XIX^{ma} maii, anno domini millesimo CCCo LXII^{do}, sub sigillo.

Per dominum, (etc.) Redd. lr. port.^{a)}

Ath Bois

a) « Reddite litteras portitori ».

XXI

1362 (1363), mars

Reconnaissance de la métralie de Rue

Copie authentique: parchemin 24/25 cm.; 1406, septembre 9.

Anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo vicesima die mensis martii, ad // instantiam mei Anthonii Championis commissarii extentarum Vuaudi illustris et serenissimi principis domini nostri domini Amedei comitis Sabaudie, per ipsum dominum nostrum // comitem ad hoc specialiter deputati, stipulantis et recipientis nomine et ad opus eiusdem et suorum // heredum, Vuillelmus Mistralis, Petrus et dominus Amedeus Mistralis de Rota, nominibus // suis et Jaqueti eorum fratris confitentur juramentis suis ad sancta dei euvangelia // corporaliter prestitis se tenere a dicto domino nostro comite cum suis partionariis, videlicet cum // liberis Mermeti de Tavel et Roleti eius fratris, liberis quondam Jordaneti Mistralis de Rota, in feudum et sub homagio ligio, cuius homagii ligii onus supportare // debet predictus Vuillelmus prout confitetur, scilicet mistraliam Rote cum eius pertinentiis. // Et pro dicta mistralia percipiunt et percipere debent ut dicunt tam in castellania // Rote quam in quibusdam villagiis de Rotondomonte sex denarios pro qualibet clama decimum-//que denarium in bampnis et escheitis, decimum denarium censuum talliabilium accensatorum. Pro // quo decimo denario hominum talliabilium accensatorum percipiunt, quos tenent in feudum a domino, // quinquaginta solidos redditus annualis super furno domini de Rota, inclusis dampnis // que sustinent ratione dicte mistralie pro permutatione facta per dominum Ludovicum de // Sabaudia bone memorie quondam de villa de Auborenges ad villam de Vuadens, // cum abbate et conventu Sancti Mauricii Aganensis // diocesis. ^{a)} Item percipiunt ratione // dicte mistralie decimum denarium pretextu recolecte in talliis domini et unam cupam // avene a quolibet homine talliabili domini et quindecim cupas avene apud Somentier super // quibusdam tenementis certorum homi-

num. Item sex denarios quos percipiunt a quolibet // homine talliabili seu tenemento talliabili in villa de Villario Rabod. Item unam cupam // vini quam percipiunt a quolibet jurante burgensiam Rote et a quolibet emente // missilieriam pertinentem ad castrum Rote. Pro quibus debent bene et fideliter // officium dicte mistralie exercere et alia jura dicte mistralie pertinentia. Promittentes...^{b)} Renuntiantes, etc.^{c)} Actum Rote in domo Francisci de Bastita. Testes fuerunt prefatus // Franciscus et Mermetus de Sancto Paulo. Ego siquidem Johannes Chalvini commissarius // ad presens extentarum Vuaudi dicti domini nostri comitis, qui recognitionis predictae copiam huiusmodi Petro filio // Vuillelmi Mistralis, pro suo jure poscenti, vigore a dicto domino nostro comite super hoc attribuite potestatis, // mea manuali subscriptione in testimonium premissorum signatam duxi concedendam. Datum quo ad // expeditionem dicte copie die nona mensis septembris, anno domini Mo quatercentesimo sexto.

Ita est // J^{es} Chalvini commissarius predictus.

a) Voir Documents I et X. b) En blanc dans le texte. c) Sic.

XXII

1363, décembre 4

Mandement d'Amédée VI, comte de Savoie, adressé à Girard Béluard recteur de la « grange » de Saint-Maurice à Oron-la-Ville.

Original: parchemin 15/35 cm.

Sceau (endommagé): sur simple queue (par incision), cire rouge.

Amedeus comes Sabaudie religioso viro fratri Girardo Beluardi sacriste ecclesie Sancti Mauricii agaunensis rectorique et administratori domus seu grangie de // *Orons la Ville* ad dictam ecclesiam pertinentis vel ipsius fratris Girardi factori presenti et futuro, salutem et dilectionem. Queremoniam fidelis nostri dilecti Jaqueti Albi de Viviaco // jurisperiti recepimus specialiter continentem qualiter vos ipsum Jaquetum, per rationem certe questionis exorte inter ipsum Jaquetum ex una parte et nonnullas personas alias ex // alia in et super decima de Billens alias de *Orons la Ville* per nos dicto Jaqueto tradita in feudum, in causam traxistis coram vobis, juridicionem et cognicionem nostram turbando // et innervando super hiis indebite et iniuste. Unde cum ipsa decima iuraque ipsius decime

de feudo nostro ligio movere dicantur, supplicavit nobis super hiis sibi de salubri // remedio provideri. Miramur siquidem et cogimur multipliciter adinturbari si ea, quorum cognicio tam juridice quam consuetudinarie nobis pertinere noscuntur (sic), cum decima // de qua agitur feudalis sit nobis et de feudo nostro ligio movere noscatur, velitis et conemini in nostri visibile detrimentum alienis juribus applicare. Satis etiam // quod lege prebente absurdum digne dicitur ut promiscuis actibus rerum turbentur officia. Et idcirco vos requirimus et rogamus, caritative monemus et nichilominus // vobis precipimus et mandamus expresse quatenus ab huiusmodi persecucione indebita desistatis omnino et desistere curetis extra nostram curiam et si expedire videretur^{a)} in nostra // curia persequantur jura sua^{b)}, cum idem Jaquetus prumptus sit juri parere in nostra curia et eisdem^{c)} super hiis facere plenum in facie complementum. Quod si facere // — quod non credimus — aliquialiter denegetis, judici et procuratori nostris Chablaisii presentibus et futuris damus presentibus in mandatis quatenus dicto Jaqueto taliter provideant // super ipsis quod nos nec ipse Jaquetus nostris juribus non fraudemur nec idem Jaquetus ad nos non habeat justam materiam recurrendi. Datum Yverduni die iiijta // decembris, anno domini millesimo CCC LXIII^{to}.

Per dominum Rel.^{d)} domini cancellarii R. lrs. port. J^{es} Bavais

a) *videretis* corrigé en *videretur*. b) rasure. c) rasure. d) « relatio ».

XXIII

1376 (1377), janvier

Privilèges accordés par Amédée VI, comte de Savoie, aux habitants de la commune de Rue.

Original: parchemin 18/28 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).

Nos Amedeus comes Sabaudie notum facimus tenore presentium universis quod nos, visitatione loci nostri de Rota hodie per nos facta prima, ipsum // locum nostrum cognoscentes experientia visibili fortificatione necessaria indigere; nobis factam etiam pro parte communitatis dicti loci supplicationem atten-//dentes quatenus in subsidium eiusdem fortificationis faciende eidem communitati impositiones subscriptas et

collectas per aliqua tempora concedere // dignaremur. Quibus mediantibus supportanda predictorum onera nostris mediis favoribus valeant adimplere, eisdem nostris dicte castellanie hominibus // et communitati per tempus viginti annorum proximorum et continuorum a data presentium inchoandorum et finiendorum eadem, dictis viginti annis // lapsis primitus et completis, languellum, obulum et pontanagium, habendas, levandas, percipiendas et exigendas^{a)} in villa, mandamento, // castellania et ressorto nostris de Rota super quibuscumque et a quibuscumque personis per presentes de speciali gratia et ob causam predictam // libere concedimus et donamus, habendas inquam levandas et exigendas modis, pactis, conditionibus et formis quibus fideles burgenses // et homines nostri ville et castellanie Melduni illas^{b)} habent, percipiunt, levant, exigunt, habere, percipere, levare et exigere sunt // hactenus consueti sine contradictione et difficultate aliquibus. Baillivo Waudi, castellano ceterisque nostris officariis Rote presentibus // et futuris mandantes expressius quatenus communitatem et homines Rote predictos languello, obulo et pontanagio predictis uti faciant et // gaudere et ad illorum solutionem omnes et singulos de locis predictis coherceant et compellant unaliter cum effectu, dicto durante tempore^{c)}, // modo et forma superius declaratis. Ipsosque et super predictorum exactione deputandos imposterum per eosdem ad exactionem predictorum // fortes faciant, manuteneant et deffendant absque alterius super hoc expectatione mandati. Datum in Rotundomonte die xviiij^{ma} januarii, anno domini Mo CCCo LXX sexto sub signeto nostro, cancellario absente.

Per dominum, presente domino priore Romanimonasterii. Redd. lr. port.

Eg^{mo} M^{chi}

a) C'est le mot *impositiones* qui est sous-entendu ici, d'où l'accord de l'adjectif verbal
 b) Même remarque que sous a. c) La commune de Rue conserva le droit de pontonage jusqu'au 30 juin 1824, date à laquelle elle en fit abandon à l'Etat de Fribourg pour la somme de 800 francs de Suisse (voir AEF, baillage de Rue no 480 ter).

XXIV

1377, avril 16

Confirmation par Amédée VI, comte de Savoie, de l'indemnité assignée aux métraux de Rue sur les revenus du four de Rue.

Original: parchemin 25/31 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).

Amedeus comes Sabaudie dilecto castellano nostro Rote presenti et futuro, salutem. Visis litteris inclite recordationis // domini Ludovici de Sabaudia quondam avi nostri carissimi presentibus annexis de recompensatione et assettamento // quinquaginta solidorum lausanensium perpetuorum et annualium super furnis et furnorum de Rota exitibus in dictis annexis // litteris latius declaratis. Pro parteque dilectorum nostrorum Willelmi mistralis de Rota, Nycolete et Agnesie sororum, neptium dicti // Vuillelmi, quondam filiarum et heredum Petri mistralis de Rota fratris ipsius Vuillelmi facta nobis queremonia continente quod tu dictos // dictos (sic) quinquaginta solidos laus. annuos recompensationis et assignationis prout supra eisdem solvere contradicis, eo pretestu // quod super dictis furnis, dictus noster patruus alias fecerat assignationes priores et quod exitus dictorum furnorum tanti non sunt // valoris annui quod tempore prioribus satisfacto, dictis Vuillelmo et heredibus solvi possit et satisfaci de predictis. Nos, sicut convenit // rationabiliter et tenemur dicti nostri patru assignationem servare dictisque Vuillelmo et heredibus solutionem annuam de predictis fieri // cupientes, ceteris causis et rationibus nos ad hec moventibus, tibi tenore presentium precipimus et mandamus expresse, omnino sic vo-//lentes, quatenus dictis Willelmo et heredibus causamque imposterum habituris ab eisdem dictos quinquaginta solidos annuos tam // super exitibus furnorum predictorum quam aliis nostris juribus, preventibus et exitibus dicte nostre castellanie Rote presentibus et futuris // solvas et expedias integre, realiter et perfecte annis singulis et imperpetuum sine contradictione et impedimento aliquibus, // speciali assignatione supradicta ac preassignatione non obstantibus ad premissa. Quam dictam assignationem, quam si sufficiens non fuerit // prefatis Vuillelmo et heredibus, pro se et suis super aliis nostris dicte castellanie bonis et juribus antedictis suppleri volumus // presentibus et supplemus. Magistris et

receptoribus computorum nostrorum mandantes quatenus, habita per te // annis singulis a dictis Vuillelmo // et heredibus et causam habituris ab eis et semel copia presentium littera de recepta, dictos quinquaginta solidos laus. annuos // in tuis singulis computis allocent tibi infallibiliter et assignent sine difficultate quacumque. Datum Morgie // die xvj^{ma} mensis aprilis, anno domini millesimo CCCo LXXVIIo.

Per dominum, presentibus(:) Redd. lr. port. Eg^{mo} M^{chi}
 Domino G. priore Burg(e)ti
 Et Anthonio Champion

XXV

1379, août 24

Mandement adressé par Amédée VI, comte de Savoie, à Guillaume Bernard recteur de la « grange » de Saint-Maurice à Oron-la-Ville.

Original: parchemin 14/36 cm.

Sceau (pendant): sur simple queue (par incision), laquelle attache la présente lettre à celle du 4 décembre 1363 (voir Document XXII); cire rouge.

Amedeus comes Sabaudie dilectis domino Vuillelmo Bernardi sacriste ecclesie Sancti Mauricii agaunensis, rectori domus seu grangie de *Orons la Villa* ad dictam ecclesiam // pertinentis vel ipsius sacriste factori necnon domino Francisco domino de Orons fideli nostro, salutem. Quoniam pro parte dilectorum nostrorum Margarite relicte Jaqueti // Albi de Viviaco et liberorum suorum nobis fuit expositum conquerendo quod vos ad instanciam fidelis nostri Petri de Donno (sic) Petro, decimam dictorum liberorum vocatam // de Billens sive de Orons saysivistis et barrastis contra tenorem et formam nostrarum litterarum presentibus annexarum et in preiudicium juris nostri atque feudi, // super quo cognitionem tam juridice quam consuetudinarie habemus et habere debemus. Igitur vos requirimus monendo et mandando expresse per presentes quatenus // dictas nostras litteras observantes, matri et liberis predictis nullam faciatis vel fieri jubeatis novitatem super decima predicta, scilicet saisinas in eadem per alias // curias quam nostram, sicut fertur appositum, tolli

faciatis et mandetis ab ipsa. Partem conquerentem super ea et eciam liberos predictos ad cognicionem // curie nostre remittendo prout refferunt nostre littere memorate, mandamus autem et committimus tenore presentium ballivo nostro Waudi quod, vocatis procuratore nostro // dicte terre et partibus predictis ceterisque evocandis, faciat et ministret dictis partibus in curia nostra sommariam racionem, patrie consuetudinibus observatis quodque // ipsi ballivus et procurator provideant aliter dictis matri et liberis super premissis ad conservationem jurum nostri et suorum prout viderint faciendi. Datum Rippallie die // xxiiij augusti, anno domini M CCC LXXo nono sub signeto nostro.

Per dominam, absente domino	Rel. domini Rodulphi de Serravalle	Redd. Irs. port.	Guill(elmus) Age ^{vii}
-----------------------------------	--	------------------	------------------------------------

XXVI

1378 (1379), février 4 *Accensement*

Original: parchemin 23 × 28 cm.

Sceau (tombé): sur simple queue (par incision).

Ego Perrodus alumpnus quondam Perrodi de Illens nunc morans apud Perremartin, notum facio universis presentibus // et futuris quod ego sciens et spontaneus pro me et meis heredibus teneo et me tenere confiteor per presentes ad censum // annum et imperpetuum a Rodulpho de Illens domicello filio quondam Nichodi de Illens domicelli pro se et suis heredibus // res et possessiones inferius declaratas sitas in territorio et fenagio de Mala Domo et de Perremartin. Primo // en la Leschiery unum morsellum terre et prati contiguos (sic) inter carrerias publicas a parte boree et orientis // et terram et pratum domini Francisci domini de Orons a parte venti. Item ibidem prope unum morsellum terre situm // iuxta carreriam publicam a parte venti et affrontat terre Petri de Williens. Item in campo dou Foz // quatuor posas terre sitas inter terram Mermeti Carementrant a parte orientis et pratum Mermeti Foz de Mala Domo // a parte boree et terram Roleti Bullo a parte venti, prout predictae res in longum protenduntur et in latum cum suis // iuribus, fondis, pertinenciis et appendiciis universis, videlicet pro triginta sex solidis lausannensium

bonorum, uno capone census. Et pro // quadraginta florenis auri boni ponderis quos a me dicto Perrodo habuit in bonis florenis auri numeratis nomine // intragii predicte censerie. Quem censum predictum ego dictus Perrodus promitto pro me et meis heredibus, iuramento // meo ad sancta dei euvangelia corporaliter prestito et sub obligatione omnium bonorum meorum mobilium et immobilium // presencium et futurorum quorumcumque solvere et reddere annuatim et perpetue dicto Rodulpho et suis heredibus in // dicta Mala Domo in festo beati Martini yemalis nomine dicte censerie, omni excepcione remota. Tali condicione // apposita in premissis quod ego dictus Perrodus debeo ac promitto iuramento et obligatione meis quibus supra // facere et edificare supra dictum morsellum de la Leschiery infra tres annos proximos post octo annos // venturos per quos dictus Petel dictas res de la Leschiery tenere debet, videlicet unam domum agricolarum. Et // non teneor solvere dictum censem pro dictis rebus de la Leschiery per tempus per quod dictus Petel dictas // res tenere debet. Et contra predicta seu presentem litteram non venire in futurum. In cuius rei testimonium nos // Rodulphus dominus de Langino miles ballivus Waudi, ad preces et requisicionem dicti Perrodi nobis oblatas per // Guillelmum Gonelli clericum de Rota iuratum ballivie Waudi, qui nobis retulit predicta invenisse contineri in registris // seu protocollis quondam Nichodi Malliardo de Rota notarii iurati dicte ballivie, non levata et ipsa inde levavit // per commissionem per nos sibi factam post obitum dicti Nichodi, quibus iuratis super hoc fidem plenariam adhibemus, // sigillum commune ballivie Waudi presentibus duximus apponendum. Datum die quarta mensis februarii, anno // domini millesimo CCCmo septuagesimo octavo.

Et ego Guillelmus iuratus predictus qui predicta inveni contineri in registris seu protocollis dicti Nichodi, hanc // litteram inde levavi, scripsi et signo meo^{a)} signavi.

a) Le seing manuel figure à gauche de la souscription.